Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8166
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Hisce libellis. (ut ad institutum meæ peregri-
nationis cursum reuertar:) Basiliæ editis,
nauigaui inde Octobri mense Argentinam:
in qua. Ciuitate non ita multis post diebus
contra Doctorem Theologum Marbachium pro
bonis operibus sic uisus sum publicè disputare,
ut et illi responsione tandem destitutus conticesceret,
& ego ab alijs professoribus responsionē expectās,
tacere à Decano iuberer: Cuius rei testes plures
sunt, quam ducenti, qui ei disputationi inter
fuere, studiosi. Sequenti porrò hebdomada
cum Sulmensium Comitum rogatu iterum argu-
mentari vellem (ter enim Argentimenses Professores
easdem solent theses propugnare:) in liberrima
sua, ut prædicabant, Theologica disputatione
sum repulsam passus: ægre id ferentibus multis,
&, quia me disputare non ꝑmissent, ex Gym-
nasio statim discedentibus. Cum hac ratione
Argentinæ ninotuissem, rogor à Comite
Polono Johanne ab Ostrorogus, ut, quoniam hyems
adesset, et aliò proficisci commodū nō foret,
priuatim sibi & quibusdam alijs nobilibus Organū
Aristotelis explicarē: Victum pro eo labore,
bonumq; in discessu viaticum recepturus. Ne
multa, conditionē oblatam admitto, totaq;
ille hyeme, atq; maxima etiam consequētis
æstatis parte intra priuatos parietes